DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

FOETVS MONSTROSI HOLMIAE NATI DESCRIPTIONEM ET DELINEATIONEM

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL. REL.

CONSENTIENTE

GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

PRO SVMMIS IN MEDICINA AC CHIRVRGIA HONORIBVS IVRIBVS AC PRIVILEGIIS RITE CAPESSENDIS

A. D. III. MAII CIϽDCCC. 1800

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

FRANC. IOSEPHVS ANTONIVS ROSSI

HOLMIENSIS

CHIRVRGIAE MAGISTER ET REGII COLLEGII MEDICI HOLMIENSIS MEMBRVM.

IENAE

TYPIS PRAGERI ET SOC.

SACRAE REGIAE MAIESTATIS

MAGNAE ET SPECTATAE FIDEI

VIRIS

REGII COLLEGII MEDICI HOLMIENSIS

PRAESIDI

ET

ASSESSORIBVS

ILLVSTRISSIMIS AMPLISSIMIS CELEBERRIMIS
EXPERIENTISSIMIS

QVALECVNQVE HOC SPECIMEN ACADEMICVM

IN PVBLICVM

GRATI ANIMI ET OBSERVANTIAE

TESTIMONIVM

SVIQVE COMMENDATIONEM

D. D. D.

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Anno 1798, cum in Theatro anatomico Holmiensi artem dissecandi exercui, foetum demortuum cultro anatomico subjiciendi occasio mihi data fuit, qui ob figuram suam externam summe anomalam

imo

imo monſtroſam ulteriore examinatione dignus eſſe viſus eſt, eaque inſtituta maximum in inteſtinis conformationis vitium oſtendit. Deſcriptionem ideo et delineationem hujus monſtri in lucem publicam edere eo minus dubitavi, quo rarius tantam ſtructurae internae anomaliam obvenire perſuaſus fui. Id autem ſumme doleo, me omni adhibita cura nihil aliud de ortu hujus foetus compertum habuiſſe, niſi quod Menſe Decembri anni 1798 Holmiae natus fuiſſet. Utrum autem parentes jam anomalia quadam ſtructurae externae vel interno conformationis vitio laboraverint, an forſan matri gravidae quaedam acciderint, quae huic monſtro originem praebere potuiſſent, an partu naturali vel difficili in lucem editus fuerit iſte foetus, nullo modo explorare mihi licuit. Id quidem ex intumeſcentia et figura coniformi

mi

mi capitis apparuit, pelvim matris juſto auguſtiorem, partum ideo laborioſum et difficilem fuiſſe.

Quo majorem autem fidem apud lectores obtineat mea deſcriptio hujus monſtri, teſtimonia addidi Virorum Perilluſtrium Hagſtrömii, Almii et Kreyii, qui ejusdem diſſectioni et examinationi interfuerunt, quibusque pro hoc ut et aliis innumeris benevolentiae ſuae in me collatae ſpeciminibus ſummas habeo gratias.

Delineationem ab artifici ingenio et uſu inſigni perfici curavi eamque naturali illius monſtri figurae ſimillimam eſſe teſtor.

In limite hujus tractatus adjeci propria quaedam annotata, in quibus de ortu et geneſi hujus monſtri agitur et analogae medicorum obſervationes proponuntur. Quibus fore, vt non penitus diſpliceam Lectori benevolo, ſpero et opto.

DE-

DESCRIPTIO FOETVS MONSTROSI.

Foetus iſte monſtroſus, cujus deſcriptionem daturus ſum, ponderis fuit $3\frac{1}{4}$ librarum medicarum, longitudinis autem ſedecim pollicum ſuecicorum. Totum ejus corpuſculum molli lanugine obductum fuit.

Capitis, crinibus bene obſiti, partes omnes et ſitu et forma naturalibus gaviſae ſunt praeter figuram cranii, ex partu difficili, ſolito magis coniformem. Diſſectionem

itaque capitis omnibus numeris abſoluti inſtituere dubitavimus, ne foetus ultra modum deſtruatur.

Collum et pectus naturaliter conformata fuere, exceptis mammis, quae ſolito altius prominuerunt. In extremitate ſuperiore dextra caeteroquin naturali manus pollice caruit, adeoque nonniſi quatuor digitis praedita fuit, in quibus tamen ungues bene efformati jam corneam habuerunt duritiem. Thoracis et abdominis forma naturalis. Umbilicus nonniſi duo vaſa oſtendit, arteriam nimirum vnam et venam absque uracho, quem etiam in diſſectione haud detegere licuit. Partium genitalium externarum plane nullum veſtigium adfuit [1]). Extremitatibus inferioribus foetus caruit et corpus in caudam piſciformem deſivit, qualem Syrenes habuiſſe olim crediderunt, quae denique in pedem male conformatum transire videbatur, in cujus imo latere pollex pedis conſpicuus fuit, cujusque reliqua pars cute laxa tecta fuit, intra quam

parvas

1) Similem foetum absque genitalibus deſcripſit Ford medical facts and obſ. Vol. V, N. 10. et foetum ſine omni ſexus diſcrimine Blegny Zodiac, gall. ann. 1619. April. obſ. 9.

parvas cartilagines inter ſeſe haud connexas deprehendimus [2].

In parte poſteriore corporis nulla erat apertura, ne veſtigium quidem ani. Paulo altius, ac orificium ani in ſtatu naturali eſſe ſolet, tumor aderat verrucae ſimilis et ſupra eum macula parva rotunda, quam utramque in icone adjecto conſpicuam reddidi. Apertura quidem hic non inveniri potuit; ſed diſſecta cute ſub macula fibras quasdam muſculares irregulari ſitu diſpoſitas deprehendimus, ad muſculos ani forſan a natura deſtinatas.

Facta inſpectione habitus externi, foetus a Perilluſtri HAGSTRÖM per venam umbilicalem maſſa ceracea repletus

 eſt,

2) Rarius talem pedis conformationem hucusque obſervatam fuiſſe conjicio. Saltem in auctoribus vix analogam obſervationem invenio. Foetum manu et pede monſtroſis praeditum deſcriptum vide in *Breſsl. Geſch.* Vol. 17. p. 305. Monſtra cum roſtro ſimo et pede biſulco v. in ALBERTI *Jurisprudent. medica* P. I. p. 118.

eſt, quo facto et aperto thorace pulmones apparuerunt collapſi et ab omni aëre vacui, ex quibus, foetum jam mortuum enixum fuiſſe, conjecimus. Cor naturale fuit, pericardium liquore ſuo praeditum, glandula thymus et reliquae partes internae pectoris naturales, quemadmodum et coſtae, ſternum, totaque columna vertebralis.

In abdomine omentum majus et minus, hepar, cyſtis fellea, pancreas, ductus cyſticus, hepaticus et choledochus, ventriculus ejusdemque orificia, lien, vaſa brevia, duodenum, jejunum, ileum, coecum cum appendice vermiformi, colon aſcendens, transverſum et deſcendens naturalia; inteſtina craſſa meconio repleta, colon vero, ubi in S romanum, ut Anatomici id appellare ſolent, tranſit, in marſupium bulbiforme clauſum in abdomine fluctuans deſivit [3]).

Extra

3) Simile exemplum de inteſtinis craſſis in marſupium coecum deſinentibus deſcripſit Wrisberg *Diſſ. de praeter naturali et raro inteſtini recti cum veſica urinaria coalitu et inde penden-*

ti

Extra ſaccum peritonaei in latere ſiniſtro ren cum capſula renali ſeu rene ſuccenturiato magnitudinis et formae naturalis, attamen ſine uretere, adfuit. In latere dextro omnia haec plane defecerunt.

Pelvis exigua fuit et minutiſſimum nonniſi cavum formabat. Oſſa pubis a partibus vicinis vix diſtinguenda fuerunt. In ipſo pelvis cavo partium genitalium internarum, veſicae, [4]) et inteſtini recti nullum erat veſtigium, adeo ut de ſexu hujus monſtri judicare haud potuerim, quod tamen ſecundum habitum corporis ad ſexum foemineum pertinuiſſe nobis viſum eſt. Per utrumque annulum abdominis transierunt partes quaedam ligamentoſae et aponevro-

nevro-

te ani defectu. Götting. 1779. Saepius id obſervavit Sömmering vide eius Tract. *Abbildungen und Beſchreibungen einiger Misgeburten.* fol. Mainz. 1791. p. 35.

4) Monſtroſi infantis absque pene et veſica exemplum v. Cattieri obſ. med. obſ. 19.

nevroticae absque vasis et nervis, rudimenta forsan ligamentorum uteri rotundorum, quod tamen certe definire haud licuit, quoniam in inguine utriusque lateris disparuerunt.

Quod ad singulare surrogatum extremitatum inferiorum attinet, quod ipsi foetui monstrosam praecipue figuram dedit, id diligenter examinandum esse duxi. Pelvim minutissimam et arctissimam fuisse, jam dixi. Acetabula ossium femoris non naturalem, sed in utroque latere ossis sacri situm habuerunt. Articularunt in iis ambo capita ossium femoris trochanteribus suis majoribus inter sese connata, adeo, ut quasi unicum os constituere viderentur ambo ossa femoris, excepto parvo spatio inter trochanteres et condylos relicto. Membrum tali modo uno quasi osse fultum nonnisi versus anteriora flecti et retrorsum extendi, caeterum vero nullo alio modo moveri potuit, ut itaque id ginglymo angulari cum acetabulo connexum fuisse appareat.

Patella

Patella locum naturalem haud obtinuit, ſed lateri externo condyli externi tibiae, ope ligamenti fortis, infixa fuit. Crus aderat unum ex duobus oſſibus tibiae ſcilicet conſtitutum, extremitatibus ſuis firmiter ligamentorum ope connexis, nonniſi antrorſum flecti et retroſum extendi potuit. Extremitates tibiarum inferiores acutae ſuperficiebus articulantibus caruerunt; oſſa enim tarſi, metatarſi et phalanges defuerunt, excepta phalange pollicis pedis, quae aderat ſed absque ungue.

Quod attinet ad ſyſtema vaſorum ſanguiferorum, vaſa pectoris omnia ſecundum naturalem ſtatum ſeſe habuerunt. Arteria hepatica injectione rupta fuit, adeo ut juxta hepar maſſae ceraceae magna copia extravaſata fuerit. Omnia vaſa abdominis ſolitis ſimilia deprehendimus, praeter defectum vaſorum emulgentium dextri lateris et vaſorum ſpermaticorum. Ex arteria renali ſiniſtra parvus ramulus ad diaphragma aſcendit. Ex arteria aorta ventrali ante ipſius diviſionem in utramque iliacam in regione infimae vertebrae lumborum, oriebantur tres arteriae lumbales, quarum tertia ex ramo cum arteria

ſacrali

ſacrali media communi orta emiſit arterias ſacrales laterales. Aorta ventralis denique tranſiit in arteriam umbilicalem et ex hac duae arteriae ortum duxerunt, quarum ulterior via eadem eſſe videbatur, quam arteriae glutaeae habere ſolent.

Arteriae iliacae communes indiviſae ſub cute eo loco tranſierunt, ubi alias ligamenta Poupartii, hic plane deficientia, eſſe ſolent. Emiſſis arteriis quibusdam inguinalibus quaevis iſtarum in tres partes ſeſe dividit, ramum ſcilicet ſuperficialem, profundum et externum. Ramus ſuperficialis cum profundo ſanguinem ad partes lateris anterioris detulerunt, externus vero ad latus externum. Arteriae profundae utriusque lateris in truncum communem coiverunt ſupra conjunctionem condylorum oſſium femoris, qui, quamvis antrorſum deſcendit, tamen arteriae popliteae functionem exſeruit, ramos emiſit articularium directione progredientes, ſupra condylos inter ambo oſſa femoris tranſiit, denique arteriae interoſſeae vices explevit et in deſcendendo ſenſim

decre-

decrevit, donec in cute pollicis pedis tota ſeſe diffudit.

Oſſa ilei, quae in ſtatu naturali retrorſum verſus os ſacrum quodam modo excavata eſſe ſolent, magnum cavum oſtenderunt. Sed neque musculi glutaei neque rotatores femoris inventi fuerunt, ſed loco eorum expanſio muſculoſa totam ſuperficiem poſteriorem pelvis tegens, et deſinens partim in ligamentum intermuſculare trochanteribus connatis inſertum, partim in expanſionem aponevroticam, faſciae latae ſimilem, adfuit. Videbatur autem hic muſculus a natura extenſioni femoris deſtinatus fuiſſe. In toto hoc muſculo arteriae glutaeae ſanguinem deſtribuerunt. Praeter expanſionem ſupra dictam faſciae latae nullum veſtigium inventum fuit.

Quomodo autem ſinguli extremitatis inferioris muſculi in hoc foetu a ſtatu naturali receſſerint, id accuratius deſcribere impoſſibile fuit, cum fibrae muſculares tam arcte conſtipatae fuerint, ut lineam ſeparatoriam inter

ſingulos faſciculos detegere haud licuerit, tantaque anomalia diſpoſitae, ut nomina nova iis impertiri deberem. Id quidem certo diſtinguere licuit, duos musculos quadricipites cruris adfuiſſe quidem, ſed ſolito magis extrorſum ad patellam deſcendentes, ubi capite ſuo adhaerebant. Eodem loco, quo in ſtatu naturali tenſor faſciae latae incipit, muſculum invenimus in externo latere ad patellam deſcendentem, ibique tibiae tendine ſuo affixum.

Nervos proſequi ideo dubitavi, quoniam veritus ſum, ne nimis deſtruatur foetus.

Reliquae partes, quorum mentionem haud feci, incolumes fuerunt et ſecundum ſtatum naturalem ſeſe habuerunt.

Ipſum autem foetum monſtroſum in omnibus ita ſeſe habere, quemadmodum mea deſcriptio et delineatio adjecta oſtendunt, ſequentia teſtimonia probant.

„Foetum

„Foetum hunc difformem ſtatim poſt partum vidi cul-
„troque anatomico ſubjectum eſſe teſtor.“

A. Joh. Hagſtröm. J. Alm. Fr. Krey.

M. D. Direct. ſupr. rerum Chirurgic. Svec. Anat. et Chir. Prof. Reg. Reg. Coll. Med. Aſſeſſor. Membr. Reg. Acad. Scient. etc.

M. D. Artis Obſt. Direct. et Prof. Reg. et Ordin.

Aſſ. Reg. Coll. Med.

EPICRISIS HVIVS OBSERVATIONIS.

Pluries quidem inveniuntur exempla monſtrorum, quae defectu ſingulorum vel aliquot ſimul membrorum laborant; tali vero, qualis deſcriptionem et delineationem dedi, ſimile quidquam in multis, quos ideo inſpexi, auctoribus, invenire haud potui. Apparuit in eo defectus ſyſtematis uropoietici, ſcilicet renis dextri, ureterum et veſicae, partium genitalium et inteſtini recti, porro ſingularis coalitus femorum et crurum in unicam quaſi extremitatem inferiorem, defectus utriusque fibulae, tarſi, metatarſi omniumque phalangum praeter unicum pollicem.

Foetum

Foetum noſtrum quamvis mortuum, tamen nonum jam attigiſſe menſem, apparuit ex unguibus et crinibus capitis, ejusque longitudine et pondere, conveniente cum eo, quod SÖMMERINGIVS [5]) in plerisque foetubus monſtroſis ab ipſo deſcriptis invenit, trium ſcilicet librarum. Partibus genitalibus penitus caruit foetus, attamen ex habitu conjicere licuit, eum ſexui foemino potius annumerandum fuiſſe, adeo ut hoc etiam exemplo MORGAGNI [6]) obſervatio confirmetur, plurima monſtra foeminei ſexus eſſe.

Quodſi autem de cauſſa praeternaturalis illius conformationis monſtrorum in genere aliquid proferre mihi liceat, eam neque in animalculis ſpermaticis imperfectis nec in maternae imaginationis vi [7]) quaerendam eſſe, ſed ex

5) l. c.

6) De ſedib. et cauſ. morb. Ep. 48. Art. 48. ſeq.

7) Animalculorum ſpermaticorum malam conformationem, LEEVWENHOEKII obſervationibus microſcopicis et BVFFONII theoria generationis ſeducti accuſarunt complures medicorum. e. g. NICOLAI Gedanken von der Erzeugung der Misgeburten und Mond-

ex impedita decente primorum ſtaminum conjunctione et efformatione declarandam eſſe exiſtimo. Cum enim demonſtrationibus optimorum Phyſiologorum conſtet, conceptionem et generationem foetus ex conjunctione utriusque ſeminis per epigeneſin fieri [8]), et evolutionem foetus ex iſto coagulo utriusque ſeminis, virium attractricium materiae organicae innatarum ope, eodem modo perfici, ac ſalium aliorumque corporum cryſtalliſationem [9]) facile elucet, quodvis impedimentum huic cryſtalliſationi obſtans rectam et ſtatui naturali appoſitam formationem foetus impedire, quemadmodum id in ſalibus aliisque corporibus inorganicis obſervare licet. Talia autem impedimenta vel mechanica eſſe poſſunt e. g. preſſio uteri, ſitus partium

Mondkälber. Halae 1779. Boehmer Obſ. Anat. rar. fol. Hallae 1756. Faſc. II. p. 49. aliique. Imaginationis maternae influxum in foetum iidem quoque ſtatuunt, graviſſimis Sömmeringii l. c. p. 32. argumentis abunde confutati.

8) v. Blvmenbach vom Bildungstrieb. Götting. 1793.

9) v. Reil Archiv. für die Phyſiologie 1. Bd. 1. Heft. Schmid Phyſiologie philoſophiſch bearbeitet. IIter Band.

partium uterinarum praeter naturalis, vel chemica, adeo ut attractio particularum chemica, qua generationem foetus perfici cum Phyſiologis ſupra laudatis exiſtimo, anomalo modo fiat. Certius quidquam de hisce praedicare nobis non licet, quos totius generationis proceſſus plane latet, quem itaque ulteriori forſan tempori recludendum relinquimus.

